

MagnVs CVnCtanDo FabIVs.
D. MAURITIUS,
 Thebææ Legionis Dux.

Pugnam æquè, ac fugam Fortiter, & Sapienter
 declinando Hostium suorum Viator,
PANEGYRICA DICTIONE CELEBRATUS:

DUM
INCLYTA NATIO SAXONICA,
 ANTIQUISSIMA, ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI

IN BASILICA
 Divi STEPHANI Proto-Martyris
Cultum annum Eidem Divo Tutelari suo X. Calendas Octobres
solenni ritu persolveret,

DEFERENTE
 EXCELLENTISSIMO, PRÆNOBILI, AC CLARISSIMO
 DOMINO
VALENTINO STEPHANO
GORGIO,

AA.LL. & Philosophiæ, nec non Saluberrimæ Medicinæ
 Doctore, Inclytæ Nationis Saxonicæ p.t.

PROCURATORE,

Prutheno-Heilsbergensi.
 ORATOR E
 PRÆNOBILI, AC INGENUO ADOLESCENTE
LUDOVICO MAXIMILIANO
JACOBO FISCHER,

Austriaco Viennensi,
ELOQUENTIÆ CANDIDATO.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
 Typis Ignatii Dominici Voigt, Universitatis Typographi, Anno 1716.

SERENISSIMO
PRINCIPI,
AC
DOMINO, DOMINO
MAXIMILIANO
WILHELMO
DEI Gratiâ Regio Principi
Magnæ Britanniæ, Franciæ,
& Hiberniæ:
Duci Brunsvicensi,
ET
Luneburgensi,
Sacræ Cæsareæ Regiæq; Cathol. Majestatis
Campi-Mareschallo,
Et Colonello Legionis Cæsareæ
Cataphractæ.
PRINCIPI,
AC
DOMINO, DOMINO
GRATIOSISSIMO.



SERENISSIME PRINCEPS.



Iraberis fortè meam audaciam, dum scholari adhuc pulvere conspersus ad Honoris, & Glorie Tuæ solium accedo; & licet nec Tyro quidem Eloquentia, sed à diebus perpaucis tantum candidatus, Oratoris tamen in habitu Conspectum Tuum subeo, plenum illum Majestatis, ac Amplitudinis, quem summi Belliduces crebro sollicitant, venerantur maximi Principes, Augustissimi amant Monarchæ. Ac indignari forsitan potuisse: quod leve solium, & pauculas basce paginae illis manibus inseram, de quibus, an Palmis jam ab hoste relatis, an armis eidem nunc obversis, gravius onerentur? est incertum. Sed, utut multa sint, quæ venerabundum pavorem quendam accedenti ad Te mibi adserre poterant: plura tamen erant, quæ attraxerunt me, plura, quæ in spem, & fiduciam erexere. Vidi ego saepius, non ita Te in arena Martis bellò quantumvis gravissimò, & imperio equitatus Tui utcunq; maximò totum concludi; ut non etiam aulam Palladis, & literariorum Palestram Tuo sidere illustres, ibidemq;, dum erudita spectas prælia, vultu Tuo, ipsaq; Præsentia ingenis aciem, atq; stimulum addas. Nihil in hoc cessisti seu Magno illi Pœnorum Domitori, Duci è Romanis facile notissimo, qui media inter bella, cum tempus admitteret, crepidatus adibat scholas; ut eruditione variâ militarem gloriam ultrò extenderet: aut Carolo illi Magno, qui Lutetiae Gymnasia, & Musæa Juvenum saepius intrabat, ut quantum ipse has artes diligeret, simul exhiberet, simul efficeret, quod pluris ab aliis haberentur. Aded secutus es utrumq; non minus armis, & victiarum gloriâ, quam artium, & literarum amore. Neg, hoc tamen unum est, quod me attraxit; ut has primitias mee Facundia Tibi dedicem, Dux Serenissime! verum etiam singularis illa Tua medium inter Vultus Majestatem eluens Comitas, incredibilis illa in omnes Clementia, & popularis quedam Facilitas; illa deniq; Virtus in tanto apice raro posita, comensurata Dignitati Moderatio, ac in quoſcunq; Humanitas, vix non prodiga, ut auderem hoc, me invitavit. Et quamvis charta hæc, utpote tenuis, inter æra & marmora, que Nomen olim, & Gestæ Tua ostendent Posteris, ac æternitati transcribent, locum non habeat: habet tamen argumentum ejusmodi, ut aptius nemini, ac uni Tibi, Tuisq; Honoribus consecrari potuerit. MAURITII Saxonum Tutelaris, Dux Militum fortissimi bellicam in cunctando Prudentiam, sum-

mam in pugnando Fortitudinem exponit: video mihi, Te in Illo exhibitum, Illum in
Terredivivum hic intueri; nec Te melius praefixa Icone, quam ipsa Oratione mea, sub
alio quantumvis Nominis expressum. Et Tu Saxoniam Partem Imperii, ut olim cunis
illustraveras, ita nunc tueris clypeo; dum Pectus Tuum, dum Legionem Tuam Univer-
sa Germania, quin & Orbis Christiani hostibus opponis. Ducis etiam, non tantum avi-
tum nomen, ac à sanguinis Prerogativa illustrem Titulum, sed munus ipsum ad instar
MAURITII lustro jam dudum integre impleveras, dum Electoralem Serenissimi Paren-
tis Tui Legionem Venetis in auxilium adduxeras, & de illustribus quing. Urbibus Gra-
cæ Peninsulae Victricem reduxisti. Verum, quod hic aequaveras, mox etiam superasti,
muneris Tui decus; dum ad Rheni ac Addæ ripas per omnem latè Germaniam, ac Ita-
liam cum Fortissimi partes Militis, tūm sapientissimi Duci munera, & Imperatoris opti-
mi graves curas per annos plures quam sexdecim obivisti. Nec tamen Gloria parta sa-
tur, nunc etiam in Hungaria, ac Turcia confinis, Equitum cohortibus, quas Divus Ce-
sar, ab ipsa jam belli fronte Laureatus Turcarum Domitor, sub victricibus suis Aquilis
recenset, partim consilio, partim imperio præs. Nec Fortitudinem in pugnando, nec in
cunctando Prudentiam Tuam adducere in comparationem est opus. Illam suspexit Gra-
cia, mirabatur istam Italia; Germania, & Orbis totus utrāq. prædicat, ac fasti in-
scribet. Methonem testor; ubi Palmæ, Lauræq; inclytas Victor messueras, ipsamq; ar-
cem herbam tandem porrigerem coegisti. Sinum testor Messeniacum, cuius Regia Corone
Urbs ipsa Tibi Corona fuerat, Ottomanis erupta. Epidaurum quoq; ac ipsam Lacedæ-
monem urbem olim Orbi non imparem, Bellona sedem; deniq; Corinthum etiam Regionis
caput Virtuti Tuæ, Tuæq; Legionis invicta robori Christiana Gens vindicata deb-
ebat. An Tu minus pro Christi Fide, ac MAURITIUS, decestasti? Jam bùs in Bar-
baros pro Religione, pro Christiana Rep: pro Christo ipso pugnas in campo, Serenissime
Princeps, tanto Felicior, quam MAURITIUS; quod Tu sanguine, quem aut fudisti,
aut hostibus obverso pectori propinasti, non Unum Te, aut Cohortem Tuam, ut Martyr
ille maximus, asseruisti; verum complura Fidelium millia, Urbes integras, ac Regiones
Fidei juratis hostibus, ac manifesto defectionis periculo exemisti, ac etiamnum eximis;
quod ipsam nunc sedem Christi, ejusq; sponsæ, cui ruinam armata ferro, igneq; Barba-
ries vel mediis in undis minata est, firmas ac protegis; quod deniq; Cohors Tuæ ferro &
Calybe Cataphracta, Tu vero unâ invicti pectoris Fortitudine, ac plusquam Heroicæ
munitus Constantiâ in Barbaros pugnans Christum tuearis. Jam id ostendis armata
manu, quod nuper Evangelio impositâ, ore vero jam saepius confessus es: Præ Principibus Sceptris, & Coronis habere Te agnitam Veritatem sanctæ Fidei Catho-
licæ. Illud ergo, quod unum deerat, ut MAURITIUM exprimeres, etiam implevisisti.
Nam sanguinem & Tu, ut Ille, dudum pro Christi populo, Fideq; fuderas, aut exposue-
ras: at Vitam ipsam, quam Ille dederat, tum servasti. Jam vero nec in hoc, Princeps
Religiosissime, MAURITIO cessisti: & Tu vitam simul, ac animam pro Christo ponis,
dum hostibus objiciis; & plura ponis, dum abjuratis iis, quibus ipsa incunabula Te im-
merserant, Fidei opinionibus, & cum his rebus tot ac titulis, quibus illæ Te addixerant,
vitâ ipsâ saepè charioribus Te subtraxisti. Cunctatione primùm id aggressus es; mox
autem Fortitudine invicta, & calo dignâ, jucundâ Orbi, gloriosâ Ecclesiâ Victoria per-
fecisti. Vive Princeps Invictissime; ac dum omnia rejecisti, ut cum Deo, Divisq; Ca-
fare artius Te conjungeres; Eorum alis innixus vive, ac super ipsa sidera Nomen inter-
rim, donec ipsum Te illuc evehas, attolle. Sed hoc ipso è fastigio Generis, Virtutis, Famæq;
Tuæ, Illustres illos Favoris radios, ut haecenm consuevisti, ad nos demitte, ac inter
Tuos & me adnumera.

Serenissimi Tui Nominis

Honoribus & Obsequiis

Mancipatum perpetuò Clientem
Ludov. Maximil. Jacobum Fischer.

SensVs IConIs
serenIfsIMI DVCIs.

*
fIDes InVICta

VICtorIa optIMA:

*
VICtorVM DeCVs,

*
CVM Deo, regéq Ve ConIVngens.

*
HoC DoCVIt

strategVs MagnVs,

*
VICtorIosa fIDEI VICtIMA,

*
fLorIDæ LegionIs prInCeps,
MAVRITIVs,

*
InVICtâ fIDE
VICtorIas scMInans,

*
CVnCtanDóq Ve triVMphans.

*
IDeM LVCVLenter testatVr,

*
DVX
MarCeLLo fortIor,

*
Magnóq Ve CVnCtatore
prVDentIor,

A

MAV-

MAVRITII Verò
fIDEIIs CLIens,
haC sVb ICone aDVMbratVs.
PVgnanDo tVrCaM VInCens,
CVM VenetIs DebeLLaVerat,
teneLLVs aDhVC sVb Marte tIro.
CVnCtanDo hæresIM sVbrVebat,
seIpsVM ILLI Constanter, atqVe fortIter
erIplenDo:
reLato
fIDEIItatIs De InfIDEIItate
pLaVsV,
VerItatIs De faLsItate
paLMarI VICtorIâ.
nVnC paLMas Inter,
LaVrósqVe seDet,
CVM Deo , aC Cæfare
VnItVs,
DIVo CVM Cæfare pVgnans;
CVMqVe Deo VInCens.

ORA.



ORATIO.

Romam Novam de Roma Vete-
tere Triumphantem ab annis mille
tercentum & amplius, miratur Or-
bis, Urbs ipsa gaudet, exultat Ec-
clesia. Quis enim unquam induxit
set in animum, ab exiguo Christiano-
rum illo manipulo Tyrannis Potentiâ maximis, Po-
pulo invicto Viribus, Genti Nationum omnium Domi-
trici, Urbis & Orbis Imperium ereptum iri? Et eri-
puit ille quidem: sed plura lustra, quin & secula tenuit
hoc bellum. Diu pugnandum fuerat, sœpe Rhenus ac
Tiberis vertendus in sanguinem, Fidelium plura mil-
lia ferro subjicienda: donec superba illa Mundi Domi-
na, totius Asiæ ditata spoliis, Africæ ruinis fulta, Eu-
ropæ viribus armata, sensim, ac sine sensu attereretur.
Tercentum annis, & amplius aperto Marte dimicatum
est; & sœpe sœpius Purpurata Idolorum mancipia comi-
nus aggressi sanctissimi Martyres Fortitudine, atque
Constantiâ suâ vicerunt. Aliam tentavit viam, adi-
tum alium ad triumphos invenit MAURITIUS,
Thebœæ Legionis Ductor, Vir pollens ex æquo Vi-
ribus, & Facundiâ; sed Animo, & Consiliis adhuc
major. Cunctando aggressus est: & tridui unius morâ
subegit Maximianum furentem Cæfarem, ac in illo do-

minantem tunc adhuc Romam, armatam grandi exercitu, florentemque etiamnum imperio, legibus, ac triumphis. *Per illustris ac Magnifice Domine, Celeberrimae, & Antiquissimae Universitatis bujus Rector; Excellentissime, ac Clarissime Domine Inclytæ Nationis Saxonice Procurator; Inclytæ Natio; Senatus, Populeque Academice.* Cunctando fregit MAURITIUS Romanos impetus, elufit vires, palmam eripuit, ac velut olim Fabius ob id ipsum ab Orbe toto, ac omni postera ætate Maximus compellatus, Annibalem cunctando fregit, vicit negando pugnam, sedendo domuit: sic iste detrectans aciem, congressum fugiens, evitans campum, elufit Romanum imperium, fatigavit arma, exarmavit Exercitum, & cum campo palmam obtinuit immortalem. Ignosce hic, Pugil Christi sanctissime! quod Te Gentilium Victorem, cum Idolorum Cultore conferam, & Gesta Tua ad Lapidem scandali, ad petram offendæ veluti ad Lydium explorem. Vidi ego sanctos Martyres feris leonibus assimilari multoties; vidi Duodecem Viros, Principes Gentis nostræ, brutis conferribobus, Legislatorem ipsum Divinissimum sub Ovis nomine, ac Imagine celebrari: non igitur absurdum duxi Te cum illo comparare, qui licet expers veri luminis, & summi Numinis ignarus erat; non tamen immanis bellua, vel brutum fuerat, sed Vir à natura, & arte maximus, à Fortitudine; sed prudenti, à Sapientia; sed illa Forti, atque Magnanima jam Orbi notus, à bellis gestis, & relatis Victoriis celeberrimus. Ipsum nomen, quod Virtus eidem indidit, ad hoc invitavit me. Dum enim complures magnos in Augustis atque Carolis, in Constantinis ac Theodosiis adoravit Orbis; unum duntaxat Maximum, nempe Fabium cum omni posteritate sua compellavit. Hinc igitur & ego Te, ut vel Maximo parem, vel majorem ostenderem, Fabio similem, cunctando Magnum, dicere sum

aggressus. Romanorum Aquilas Tu Ipse Tua cum Legione secutus es; sub iisdem nunc certat Tua, quam Tutelari amore foves, curâ protegis, adjuvas Patrocinio, Saxonica Natio; Romano etiam Episcopo Marcellino cum Urbem transires, Te Ipsum novo Fidei Sacramento addixeras: quid mirum igitur, si Romanis Te bene affici, minus dubitem, & Romano, illique Maximo Te similem liberè dicam. Tu interim *Senatus, Populeg, Academice*, ac Tu cum primis *Inlyta Natio* ne ad sermonem ipsum, aspirantis vixdum à longè ad Eloquentiam, & nec in primo quidem illius limine constituti; sed ad MAURITII Cunctatoris novi Fortitudinem invictam, admirandam Sapientiam, Victoriam demum incomparabilem adverte animos, ac ut soles, dicenti fave.

Fabius Maximus cum Marco Marcello regebat Militem, hic pugnando, cunctando ille famosior. Ut ergo Fortis: at hic in bellando erat sagacior, in vincendo major. Ipse Annibal, ut inimicus acerrimus, ita peritissimus Bellidux non dubitavit afferere: (a) se magis *Fabium non pugnantem, quam Marcellum pugnantem formidare*. Atque ideo non illius conflictibus, (b) verum hujus Prudentiae adscripta fuerat Cannensi à clade servata tamen, ac restituta iterum Romanorum Potentia. Et MAURITIUS Marcellum suum habuit; (c) Marcellinum nempe: vel ut Fasti Græcorum nominant, Marcellum Pontificem; collegam quidem ætate, ac tempore, sed à munera amplitudine Dictatorem. Pugnabat Romæ in ipsa sede Imperii Martyr iste, ac Martyrum Imperator Fortissimus; cui etiam Fidei Sacramentum MAURITIUS iteratò præstítit, antequam ad Romanum Exercitum ignarus adhuc obventuræ Victoriae vel pugnæ properaret. Pugnabat, & vicerat Marcellinus illo ense, quo cæsus est, impietatem Gentis, crude-

B

lita-

(a) Livius. (b) Ennius. (c) Beda. Usuardus. Ado,

litatem Principis Diocletiani : sed vicit plurium annorum ope, vicit post repetitos assultus publicos, vicit lentâ & serpente Victoriâ. **MAURITIUS** trium dierum spatio confecit bellum ; nec dies tot cunctando absumperat, quot annos alter aperta vi, & viribus congregiendo. Audite modum, ac eventum certaminis, *Academici*, & assensum præstabilitis Orationi. (a) Aderat ab Orientis diei partibus cum Legione sua, Thebæa nomine, invicta virtute, Fidei veritate instructissima, & maxima numero sex millium sexcentorum sex, & sexaginta militum, Antesignanus ac Ductor **MAURITIUS**. Subsidium hoc à Gente Socia succurrerat Maximiano Cæsari : ut eodem Bagaudas, Galliæ populum, relulantem jugo, quod ei Roma jam dudum victrix impo-
suit, supprimeret citius, ac seditionem, non jam gli-
scensem sub cinere, sed erumpentem in incendium so-
piret. Sed aliud volvebat animo effusus in scelera, &
impius Imperator. Divisum quidem ille habuit cum
Diocletiano Romanum Imperium ; at commune cum
illo aluit Odium in Christianos populos, quos instar
hostium, & ultra illos detestabatur. Ergò turbarum
specie Christianos persequi, ferro & armis exscindere,
Jovi suo, aut verius Furori proprio immolare decrevit.
Idem, ut collectus præstaret miles, & se ad illud solen-
ni Sacramento adstringeret ; Octodurum in Sabaudiæ
clarum Oppidum convocatur. Accepit & **MAURI-**
TIUS hoc mandatum, cum per saxosas rupes, & al-
pes asperas Legionem suam deduceret, legens vestigia
jam præmissi exercitus. Verum & hic Belliducis cau-
ti partes, & providi Ductoris regulas observabat. Ex-
ploraverat omnia ; & deprehendit etiam inter cætera
mandati causam : nempe, sacrificium comune ac publi-
cum faciendum Diis ab universo milite pro belli auspi-
cio, Sacramentum adversus Christo fideles populos

(a) Baronius, Ado. Surius.

præstandum ad aras sacrilegas, expeditionem impiam
cruento ab illo sacrificio inchoandam. Quid hīc age-
ret Fortissimus Imperator? quod consilium arriperet,
ut fidelem se Deo præstet; non tamen periurum simul,
& impium suo Cæsari, aut subdito Militi pernitiosum?
Rediret in Patriam abjectis armis? Robur invictum ani-
mi, & Cohortis Fortitudo Heroica fugere non admisit.
Maximianum adiret, cominus pugnaturus cum hoste,
cujus in opem, & amorum societatem advenerat? Pru-
dentia vetuit: ne vel quorundam militum non usque
ad eo durata Religio adiret periculum; velex ipso ac-
cessu illo, parendique studio periurus cælo, veroque nu-
mini collectas inter copias videretur. Ergo cunctan-
dum ratus, Agaunum non incelebre Oppidum deligit,
ibique subsistit; donec aut hostem frangeret mollien-
do, aut moriendo fortiter gloriosius vinceret. Neque
occulta id paravit fraude, sed palam, & Mundo conscio
aggrediebatur. Facundiâ, qua fuit eximiâ, Legioni ex-
ponit impiam adeo Maximiani mentem, ac decretum.
Hortatur ad firmam in Fide Constantiam, ad militarem,
si quæ ferenda occurrent, suppliciorum tolerantiam,
ad premenda constanter, & in omni casu sua vestigia.
Nec umus erat ex omnibus, qui Duci tam strenuo, quam
Eloquenti dissentiret. Omnes, cunctandum esse, nec
accedendum cominùs, nec eminus fugiendum, conclamant.
Remittitur Nuntius, qui advenerat, Imperatori:
Thebœam Legionem Christo, Deoque uni fidelem esse:
futuram & Cæsari; nisi ipse turpi perfidia, & Cultu im-
pio mendaces Deos, & à Dæmone animata idola vero
Numini præhaberet. Cæterà nec se unquam Jovi Pha-
natico litaturam ad aras, nec in Christiadum necem con-
juraturam cum impiis, nec in hos arma, vel consilia latu-
ram. It, & redit à Cæsare Satelles; minis jussisque pro-
vocat cunctantes Pugiles, aut in apertam aciem pugna-

turos ipso cum Cæsare, aut in dditionem voluntariam, jussumque Principis pro Jove adversus Christum suscep-
tuos militiam. Sed stant, ut marmora, Heroës incliti, & jam nunc in turma subdita MAURITIUS Trium-
phans. Gravior proinde turbo, fluctusque ingruit: ad-
est è castris missa armatorum manus, quæ, nisi cedant,
decimum quémque feriat, ac sic & reliquos metu percul-
tos in sententiam trahat. Sed actum & hoc agebatur:
major in Fide Constantia, firmior in campo pes ab hoc
affuso sanguine reddebat. Ac veluti Leo Libycus vi-
so sanguine novos exsurgit in impetus, robur geminat, &
vires intendit: sic ij tum primùm fortiores facti eo se-
non cessuros loco, nec fugam versuros aliò, nec Octodu-
rum aræ impiæ, ac fœderis iniquissimi sedem pessimam
adituros; audacter, & aperte denuntiant. Rursus igitur
crudeli ferro decimatur Legio: bis jam coronata
Martyribus, bis purpurata decoro sanguine, bis victrix
insultantis Maximiani. Et nondum satis: nam iterum
Cunctator MAURITIUS perstat immobilis, totumque
hostilem Exercitum jam integro triduo suspensum deti-
net, fatigatq; Tandem nec è vestigio quidem cedens,
seu à loco, quem occupaverat, seu à Fide, quam propu-
gnarat, circumdatur Romana ab acie, ipso Duce Maxi-
miano insultus fit, terrore ac minis cum socia Legione
tentatur; & quoniam nec ita motus, Ipse omnésque Socii
ferro truculento concidunt, antè vitam deferentes,
quam campum, & cadendo non retinentes tantum ca-
stra sua, campumque in signum Victoriae, sed etiam ho-
stem enervantes. Pudor equidem tenebat animos, &
dolor pectora lancinabat; cum occurreret, nec Legio-
nem unam, eamque sociam aut sui juris, & imperii fa-
cere, aut vi domare, ac subjicere potuisse.

Edicite nunc, amabo, *Auditores Academici*; quæ illu-
strior unquam victoria vel à Romanis ipsis, vel de illis re-
lata

lata est? Quæ cunctatio gloriōsior, aut meliori fine corona? Nam tametsi, ad prælium cunctari, sit nota formidinis, vel esse saltem vulgi hominibus videatur: edicite tamen: annon hæc ipsa cunctatio Fortitudinis inauditæ fuerit documentum? Vicit & Marcellinus (a) eodem tempore, aut si Græcorum fastis fidem addimus, Marcellus Pontifex, Fabii hujus nostri ætate quidem par, at munere dignior. Vicit, inquam, cum septemdecim milibus, qui vel eodem cum Illo mense cadendo fortiter Fidem tuebantur; sed multa hic intercurrere prælia: sine hostium damno, aut majori dedecore confecta pugna est; nec iis curam, aut periculum, nec laborem facessivit. At hic collisa est Romæ Potentia, fatigatus est, & confusus omnis Exercitus, Imperator elusus Constantiâ, Fortitudine animi superatus. Hic oppugnatâ est, nec palmum terræ concessit Fides; cunctando strenuè Socius in hostem versus est exarmatus. O Fortitudinem huic ævo incredibilem! invisam Majoribus! Posteris inauditam! Quot Legiones integræ cesserunt famæ, aut grandi Victoris nomini? Quot exercitus ad famosi conspectum Ducis contremuerunt? Quot Urbes & Præsidia corrue- runt ad minas asueti vincere Imperatoris? Stat MAU- RITIUS, & imotus consistit ad armatum Imperium, ad Fulminantis conspectum Exercitus, ad cruentantes jam minas. Quid minas dico? jam ruunt Socii: stat Hic impavidus. Dum Ipse concidit, Fidem, campumque retinet; & quem pede nequit protegere, corpore toto contegit, vitâ defendit. Leonidæ Spartani facinus (b) renovasse hic visus est: dum innumeros aggredi cum paucis nequit, impetum Xerxis sustinet, & antè cum suis omnibus animam deserere, quam stationem, decernit. Meritò de Illo dicat Idolorum Potentia, quod olim de Fabio Hetrusci: (c) Romanos vicimus; à Fabio vici sumus. Romani verò confiteantur: Orbem debellavimus, à

(a) Baronius. (b) Herodotus. (c) Livius.

MAURITIO superati fuimus. **A MAURITIO**, qui Socios unus omnes detinuit; qui spiritum, robur, virés-que indidit Legioni populosissimæ; qui sttit seu ruen-tes in fugam, ut hominis fert imbecillitas, seu prope-rantes ad pugnam, quæ militum est Fortitudo.

Quod si tantum, ac tam singulare in Cunctatione hac robur eluxit; ut ne in pugnantibus quidem ipsis virtus major unquam deprehensa sit; non illa Fortitudinem minuit, sed Sapientiâ, sed vigili magis Prudentiâ ornavit, & auxit. Nec Romanis igneæ in pugnas genti, ac in bellis præfervidæ Fabii cunctatio primitus arridebat. Lan-guentem illi; timidum alii: quidam suis hostibus non us-que adeò inimicum dicebant. Cavillabantur plurimi, omnes rejecerant salutare consilium. At postquam causas ex ipsa belli serie, postquam eventum videre opti-mum, postquam ignotum antea bellandi hunc modum intimius penetrârunt; tum enim verò Fabius, totaque illius Posteritas vocari maxima, tum ille Fortitudine ani-mi nulli posterior, bellandi verò Prudentiâ omnibus ma-jor audire in castris, in Urbe, in Latio. Tum illius ex-tolli ars, celebrari imperium, consilium adorari. Quis verò leviorem in Te Prudentiam, quis minorem in Tua Cunctatione Sapientiam esse dicat, **MAURITI?** qui sic illustriore Modestia, & Gravitate majori, & meliori se-curitate, perpenso omnium Tuorum periculo, statu hostium, Fidei dignitate omnibus prospexit: qui sic Unius Numinis Majestatem, Christianorum Constan-tiam, Fidelitatem propriam luculentius ostendisti: qui denique hac pugnandi ratione & hostibus graviorem formidinem, & plura damna, & majorem infamiam cum clade hoc ipso maxima intulisti. Novisti, non impetu inconsulto bella confici, non temerario insultu vœnire Victoriam, non desultoria levitate obtineri Triumphos. Oportere, ut peccus Martium Sapiens negat animus, ut

Archil.

Achillis dextera vel Ulyssis à fronte, vel à Galea Palladis añutum expedit: ut ensem regat Consilium, istud dispenset Prudentia, hanc Sagacior mentis in doles, vel Spiritus acrior tueatur. Expertus id est jacturâ suâ Mancinus Hostilius (a) præcipiti in Numidas impetu cum suis obtritus majore post cladem infamia. Expertus & Scipio, (b) Asdrubalem classe præpropera in pugnam sollicitans, in fugam coniectus turpissimam. Expertus denique incentor horum omnium, totusque in impetum effusus Minutius, æmulus Fabii, minimè felix, & Romani decator Imperii, nisi Fabius cunctando restituisset id, & hujus obsidium, illius fugam, cædem alterius morâ Sapienti redemisset. Etiam Christianos inter Pugiles quibusdam improvisus conspectus hostium pani cum terrorem incusserat, quibusdam subitæ tormentorum minæ frangebant animum, quibusdam Tyranni crudelitas vel audita eminus, vel à longe conspecta palmam extorsit. Novit MAURITIUS dura robora, & fortes ferendo palmas morâ solidari; novit antè firmandas esse, quām turbini exponamus, arbusculas. Hinc & Ille suos milites robrire sermone, exemplis instruere, morâ confirmare ad laborabat. Et erat è dignitate causæ, veræ nimirum Fidei oppugnari ab impiis, nec sponte occurrere vesanis Deorum Osoribus: ne potius velle se dedere, quām vinci nolle videretur. Conjunxit scilicet Fidei Constantiam cum Sacramento militari, militiam antè non deserens, quām ex illa, & vita simul exterminaretur. Etiam, dum properante ad pugnam impiam toto Exercitu cunctari potius, ac detrectare hanc statuisset, nil extra viam fugientis ad instar, aut perfidi recessit, non retro, ut melius poterat, domum reversus est; non in antra, & speluncas se abdidit: sed campo in publico, Agauni, noto in oppido, in ipsa via, qua in hostem tendendum fuerat, octo duntaxat millibus à sede Cæsaris Octoduro remotus, po-

(a) Livius. (b) Valer. Maximus.

tius imperia ventura prævolans, quām recusans jam data, perītabat. Ergo & loci occasio, & temporis opportunitas, & ratio ipsa cunctandi electa sunt optimè, nec Sapientius res institui, ordinarique tum poterat, nec fortius suscipi, ac attentari. Vince igitur, Heros invictissime! ac triumpha non tantum Fortitudine, sed etiam Sapientia immortali. Triumpha in tot coronis, quot Socios roboraſti, non tantum laureis, sed & Civicis; dum ne unum quidem ex Tuis omnibus amisisti. Tui sunt Pugiles, quos imperio Tuo duxeras, quos hortatu instruxeras, quos Consilio gubernaras. Tui sunt, & Tibi Lauros, Tibi Palmas etiamnum suas ferunt in acceptis.

Vos interim, *Senatus, Populusq; Academice*, quanta cunctationem istam sit secuta Victoria, paucis accipite. Non enim reſedit semper MAURITIUS, non Ille nunquam pugnavit. Cunctabatur tantummodo cum Fabio, non subducebat ſe arenæ. Dum avidus pugnandi vir Minutius, Magister Equitum aggressus Annibalem jam cladi proximus cum Exercitu Romanorum fuifet; cùm jam alii natarent in sanguine, alii cum vulneribus, alii cum ipsa Morte luctarentur, cum reliqui fugam capeſſerent: *Fabianae acies ut cum Livio loquar, repente velut cœlo demissa ostendit.* Nec ostendit ſe tantum; ſed ſuos erexit in prœlium, hostes conjecit in fugam, utrisque ſumam Prudentiam diuturnæ Cunctationis exhibuit, ſibi verò victoriam peperit, & Famam Nominis ab hominum memoria inauditam. Maximus hic ſanè Fabius Cunctator: at major hac ipsa in Laude MAURITIUS. Et iſte ſatis cunctatum ratus pugnavit cominus cum Maximiano, pectus nudum oppoſuit gladio, jugulum ſiccæ. At in hoc non felicior tantum Fabio, ſed & Constantior; quod ille tandem levare ſe, ac ipfe in hostem incurrere collegæ ſui errore coactus fit; MAURITIUS verò nunquam ceflerit, nunquam ē campo motus, non ipfe procedere obviam

com.

compulsus unquam, aut cogi se passus est: sed in ipso, quo stabant, loco; idem pratum, quod cunctator occupaverat, strategus retinuit, victor servavit. Non Ille Agauno abiit, vel jussu Cæsaris, vel Tyranni minis, vel cæde Suorum avocatus. Stetit rupis ad instar marmoreæ, quam nec ventorum impetus, neque fluctuum graves impulsus, nec ictus ruentis fulminis percellunt. Stetit ergo, donec adversa pars, vel in hoc jam victa, quod sequi hostem immotum debuit, ipsa irrueret, & suo impetu collideretur. Stetit jam ex hoc ipso Victor MAURITIUS, quod Cæsaris grave imperium cunctando enervans eum sibi parere potius, ac vocantem se ad se accurrere unam cum exercitu coegerit. Triumpha Pugil Fortissime! maximam jam partem exercitus, dum solum Imperatorem, vicisti: languente nimis capite languet & corpus, exanimatur hoc illo exanimi, ruente corruit, putrescente tabescit. Jam viatus est Maximiani, Doctoris hostium Tuorum animus; ipse pallor, & oris fremitus, timor simul simulq; ira fatetur victum se, Te victorem evasisse. Enon bellantis in morem, sed ad instar exigentis supplicium, Tuamq; gloriam, suamq; ignominiam vindicantis circumfunditur Tuis Heroib; victoriæ Tuæ Sociis, eosq; concidit.

Vicerunt ergo Thebæi cœsi; jacentes victrixi pede calcant Romanam Potentiam; inermis MAURITIUS Tyrañum exarmavit. Hi tenuere campum; ille deseruit. Non ille Victor est, qui multos enecat, & vitam ferro, vel igne eripit: quis enim Latro id nequeat? quæ bestia? quæ Circe? sed ille Victor est, qui Hostem Virtute sua eludens impensas vires, & impetus effusos illæsus sustinet, facitq; irritos; qui eum Victoriæ spe omni dejicit, qui extorquenti palmam non cedit, proturbanti ē loco campum non deferrit, sed conservat. Ille Victor est, qui totum obtinet, quod prælio quæsivit. Quod si ita est, uti omnino est: quis MAURITIUM Victorem ambigat, Eumq; glorioissimum, maximumque? Quid Ille bello hoc quæsivit? Fidem Deo ser-

vare integrum: servavit. Comilitones suos hostibus, idolis, orco eripere? eripuit. Bellum impium, perversumq; ac sacrilegum imperium à se, suisq; palam excutere? excusavit. Quos hostes, amabo, habuit quos non prostrâset hoc prælio? Romanum militem? hic ausus inferre vim sensit effractum impetum; spe sua cecidit, ac delusus recessit, dum MAURITIUS cecidit. Maximianum Cæsarem? Hic nec pro Jove suo Thuri micam, nec pro scelestâ militia virum unicum, nec ad crudele imperium ullū verbulum extorsit. Imò post breve tempus vel ipso Cœlo agente Vindicem turpiter enecatus est. Nec ense cecidit, ut miles, aut Bellidux; (a) sed funeperiit ad Massiliam, insidiarum, quas Genero Constanti struxerat, accusatus; at verius perfidiae in Deum reus, servili morte tanquā Captivus MAURITII interemptus. Imò vicisti metum, Dux invictissime, dum Fulminantem sprevisti Jovem; vicisti mendacium, dum Marti ac Bellonæ honores sacros eripuisti; vicisti Orum, dum Idola, & sacrificulos fugisti unā, & fugâsti. Si Testes hujus victoriæ Orbis appetit; habet triumphale in cælis Esse dum, cui Roma nova de prisca Victrix, aut verius Tua virtus, Deiq; confortans manus Te imposuit; habet Elementa ipsa (b) observantia Tuum nutum, Tuum secuta imperium, tot linguis id, quot prodigiis per omnem latè Franciam, & Sabaudiam à Te editis contestata: habet mortem, quæ Te jubente recessit à morbidis: habet orcum, qui cessit ipse rapienti Tibi tot animas: habet cœlum, quod coronavit Telauro immarcessibili. Si plures exigat; habet maria, (c) quæ vel ad Nomen Tuum piè invocatum posuerunt fluctus, repulere monstra, tempestates averterant; habet denique terram ipsam, & in ea devotam Tibi, magnam omnibus, Orbéque toto famosam Saxoniam, quæ Te inter Victores celebrat, invocat inter Cælites, Thaumaturgos inter ac Tutelares, ut suum Principem veneratur.

Ad Te igitur destituta jam tempore, ac lassa viribus

(a) Surius Ado. (b) Eucherius Lugd: Ep: (c) Gregor: Tur:

mea se inclinat Oratio, Gens clarissima, *Saxonica Natio*, Patrō Tuō, ac Tutelari non felix minūs, quām Gloriosa. Videris mihi, quemadmodum Turonensis olim, & Andegavensis Ecclesia Divo Martino Præfule non minūs renascen-tem miraculō, quām resurgentem editis deinde prodi-giis MAURITII Tui sacrum Sanguinem per omnia sua templa, ædésq; sacros dispersit: sic, inquam, videris mihi, *Natio inclyta*, MAURITII Fortitudinem & Constantiam in plurimos Cives Tuos; Fidei Fervorem, ac Sanctitatem Illius, in summa Patriæ Tuæ Capita; Patrocinii verò Tutela-ris vim, ac virtutem in omnes effudisse. Ac militare qui-dem illud robur, quo inter inclytas Orbis Gentes Germana eminet; & inter Germanas ipsas jam dudum floret Saxonica: quis est, qui nesciat? Fidei autem Orthodoxæ sancti-tatem veterem, ac Fervorem, nunc demum post bina jam prope secula vastitatis miserrimæ, novo iterū incremen-to, eoque incredibili sumis in verticibus resurgentem, quis est, qui non miretur? quis non effuso animo gratulatur? Non hic adducam serenissima olim, nunc Augustissima Ca-pita: quæ non antè Coronam Imperii admirerunt in verti-cem, quām Ipsæ met Corona evaserint Romanæ Fidei de quibuslibet ab illa deviantibus Triumphantis. Has incli-nato genu nostræ venerantur aulæ, Urbs ista colit, Eccle-sia suspicit. Non etiam hic memorabo Purpuratos nunc Apostolos à profanis, & frigidis Lutheri focus, ad aras Agni immaculati plaudente Germania transgressos, & plurimos adhuc alios de Principum suorum sanguine perducentes ad se in Ovile Catholicum. His ipsa templa inclinant se, ac iis fulta jucundè jam conquiescit Romana Cathedra. Unum præterire non possum, Quem venerabundè coram intueor, Magnum Principem, & Sancto Duci MAURI-TIO Duce simillimum, nihil Constantiæ Fidei; quam sub tutela Hujus & Ipse amplexus est, nihil Fortitudine animi; qua eam sustinet, nihil militari Prudentiæ, qua illam Legio-

ne Sua, Suóq; Imperio, adversus Barbaros, & hoc ipso nunc
tempore defendit acriter in Hungariæ finibus, & Sua manu
propagaverat olim in Græciæ sinu, inferiorem. Complu-
res jam Duces alios Ejusdem Hujus & legere video, & le-
gisse vestigia, ominórque illos etiam, qui restant adhuc in-
feliciter cunctantes, datus manum; dum vident, ante-
cessisse tot Capita, tot Heroica pectora sibi viam præmu-
nivisse. Cui autem quæ so vos, ac obtestor, *Auditores Aca-
demici*; cui sementem hanc attribuam, nisi MAURITIO,
qui suo sanguine, licet alibi effusus fuerit, extensa in hanc
usq; Regionem Sibi deditam, ac devotam Virtute sua, & vi-
mirifica, vastos agros, & solum sterile irrigavit in messem?
Cui adscribam, nisi MAURITIO: qui licet desertus ferè
ab omnibus incautè seductis incolis, cum ij debitum cæli-
tibus honorem impiè abjurarent; hos tamen Ipse nequa-
quam deseruit, sed è cœlo protexit? qui editis jam dudum
pro Fide salvifica factis heroicis, gestisq; maximis anima-
vit suos, ac etiamnum animat ad lucem ingenuam, & sanio-
rem doctrinam adspirantes. Hic profectò, si ullibi, appa-
ret: quantum valeant Superi pro Mortalibus decertantes;
quantum electi locorum Præsides è cœlo ferant subsidii.
Tene igitur, Felix Regio, Tuum hunc Angelum: colite ve-
ri Saxones, quia Fortes, quia Constantes in Fide veteri,
Vestrum Belliducem; at Vos in primis, maximi Principes
Patronum Vestrum, ac Protectorem. In illo, si non de Ma-
ximiano, aut Romano Exercitu, saltem de Patre Menda-
ciorum, de sectariorum infido agmine, de Orco ipso glo-
riæ Vestrae invido, triumphate. Et Vos non præcipiti im-
petu, sed cunctando feliciter vicistis, Sapienter Fortes,
Fortiter Sapientes. Unum est, quod pro Coronide Vobis
optem: Ducite, nam Duces estis invictissimi, partem & re-
liquam ad Vesta Labara; ut dum MAURITIUM Vos
induistis, Universa Natio Thebœam Legionem de-
Perfidia Viðricem æmuletur.

D I X I.

